



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

3 Feb. 3 Nonas Feb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

*Purifica me! Extingue in me id, quod potest esse pestis anima mea!*

3 Feb. 3 Nonas Feb.

**S.** Blasi Ep. ad quem concurrentes  
feræ, à te sanabantur: qui pue-  
rum, cujus gutturi spina piscis in-  
fixa hæserat, perfanâsti: cui pro iis,  
qui te invocarent, orâti, respondit  
Christus; se omnia à te petita factu-  
rum. Cujus, ferreo pectine lacerati,  
& sudibus contusi, sacrum sangui-  
nem dum legerent matronæ se-  
ptem, percussæ ab ethnicis, lac per  
vulnera profudère. Tu, qui calcatis  
aquis, Angelum vidisti, & audisti  
hortantem, ut egredereris, paratam  
à Deo justitiæ coronam acceptu-  
rus; ac tandem, totus cælesti luce  
refulgens, unâ cum duobus pueris,  
latus gladium jugulo excepisti. **S.**  
Blasi, sanctæ matronæ, sancti par-  
vuli, orate, ut felix hinc ad coro-  
nam, non ad pœnam, egrediar; &  
intrem in gaudium Domini vestri,  
ac mei. Amen.

**S.** Celerine Diacone, carcere,  
nervo, ferro, pœnisque aliis glo-  
riose.

**S.** Laurentine, **S.** Celerini pa-  
truis; **S.** Ignati, ejusdem avuncule;

S. Celerina, ejusdem avia, omne  
MM.

Sancti Felix, Symphroni, Hippolyte, & socii MM.

S. Joannes misericors Archiep. cujus precibus stannum in argentum, mel in aurum, mutatum est; cui mansio, & quies æterna in celo parata, ostensa cuidam est.

S. Blasi, ex armentario Martyr, nervis cæse, in aquæ bullientis lebetæ, Angelorum ope, illæse; è cuius, pro Christo morientis, ore candida, & splendens columba evolare conspecta est; baculus verò tuus juxta altare germinavit.

S. Laurenti Ep. qui portas à Spoletinis tibi clausas, precibus aperuisti; & ob cælestem lucem, corporibus mentibusque allatam, *illuminator* es appellatus.

S. Hadeline, à S. Remaclo è celo de morte admonite: quem dormientem Angelus à solis radiis umbrâ defendit: qui baculo humi defixo fontem elicuisti; & mutæ linguæ vincula solvisti: cui donatum à se fundum, dato tibi chirographo, mortua fœmina testata est.

S. Berlendis V. quæ noctu audivisti cantus Angelorum, animam patris tui ad cælum portantium:  
cui

cui piscis in carnem, aqua in vinum est versa: cuius tumulus è ligneo dicitur divinitus lapideus factus esse.

S. Wereburga Virgo regia, quæ silvestres anseres obedientes habuisti.

Sancti Tigrides, & Remedi, Episcopi.

Sancti Lupicine, & Felix, Episcopi.

S. Anschari Ep. Suecorum, & Danorum Apostole; qui Frisios, ob diei Dominicę labores, igne cælesti multasti: qui matrem tuam vidisti in Sanctorum coronâ ornatam, cum Beatissimâ Virgine Matre, tibi dicente: *Fili, vis ad matrem tuam venire? Si nostra voluntatis particeps esse velis; omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere, ac temet-ipsum in gravitate vitæ custodire. Valdè enim detestamur, quæ vanæ & otiosæ sunt; nec potest in nostro conventu esse, quicumque his fuerit delectatus.* atque ita mores, sociosque dissolutos mutasti. sed postea in religiosæ vitæ studio factus remissior, visus es tibi, in agone supremo, S. Petrum, S. Joannem, ac Sanctorum omnium choros, Deum laudantes, audire; atque ita ad virtutis

calorem pristinum rediisti : alibi  
verò, à conspecto tibi per quietem  
Christo, videbaris tibi generaliter  
de totâ vitâ confessionem exequi  
atque à Christo absolvi. Impetra  
mihi, ut sequar consilium, tibi à  
Dei Matre datum: excute à me tor-  
porem omnem; ut ardeam ad ob-  
sequia Dei mei, infinitè boni.

OMNES SANCTI, &c.  
*pag. 44.*

S. MARIA, qua S. Simeoni, hodie  
à Gracis culto, JESUM parvulum in  
sinum dedisti. Doce me in Eucharistia  
JESUM tuum ita tractare, ut talis ab  
æterno Patris, & talis in tempore Ma-  
tris, Filium tractari à me seruo decet!

S. MARIA, qua S. Anschario,  
tunc parvulo, velut Mater conspecta,  
eum cum pueris ludentem coarguisti,  
& seria sapere docuisti. Argue et me,  
ac doce, ut serio sapiam aterna!

4 Feb. Pridie Nonas Feb.

S. Remberte Archiep. cui Sacer-  
dos, olim defunctus, dixit, se  
cruciari, quòd salutis suæ negli-  
gens, parùm gravis, sæpè otiosus,  
cibo & potioni deditus fuisset in  
vitâ; liberandum se tamen, si pro  
eo, per dies quadraginta, jejunares,  
pane,